turae eluceat. non saepius quam frater M inquinatus est interpolationibus, quae quamvis calliditate et audacia Vaticani careant, nonnunquam tamen sine ulla causa mera libidine inspersae sunt. universe tamen videtur haud multo minoris quam V aestimandus esse. numerus quoque locorum graviorum, quibus V meliora praebet quam M (lib. I: 26. II: 57, III: 61, IV: 40 = loci 184) haud graviter differt ab eorum, quibus Monacensis Vaticanum vincit (I: 35, II: 35, III: 42, IV: 39 = loci 151). locis dubiis uterque fere nihil praebet nisi librariorum inventa.

B. De aliis ad fastos recensendos adiumentis.

I. De locis quibusdam a Lactantio Firmiano allatis.

Quoniam de tribus optimis libris satis disputavimus, si vetustioris recensionis vestigia detegere volumus, descendere nos opus est ad scriptores veteres, qui electos poetae versus memoriae prodiderunt. atque e fastis versus longe plurimos attulerunt Priscianus et Lactantius Firmianus.[1]) sed quae apud grammaticum illum inveniuntur quamquam haud pauca sunt, tamen aut nullas aut tam lenes discrepantias praebent, ut nostro iure ea praetereamus. nam in versibus quos affert Priscianus (I 521, II 55—56, III 11, IV 391, 583 sq., 805, 888, 933 sq., V 371), hae solae reperiuntur variae scripturae: II 55 *matris*, IV 805 *flammam*, 933 *at* vel *ad* vel *ac dextra* — *mantile*, V 371 *leaenis*.

Quid vero de Lactantio? corruptelam videmus inst. div. I 21, ubi cum fast. V 629—32 afferat, codices v. 632. *iace* exhibent, id quod non Lactantii sed librariorum esse apparet. accedunt versus quattuor, quos sine mendo ac corruptela attulit inst. div. I 21 (fast. I 385 sq. V 621 sq.). sed gravissimum est exstare locos complures, quibus Lactantius ipsam optimorum codicum fidem superet. tuetur enim — ut a levioribus ordiamur — II 599 *Lara* (*Lar* RVMς) hoc loco, quo Ovidium vel Varronem certe ante oculos habuit: inst. div. I 20 *quis non rideat Fornacem deam vel potius doctos viros celebrandis Fornacalibus operari?* (cf. fast. II 525 sq.) *quis cum audiat deam mutam tenere risum queat? hanc esse dicunt, ex qua sint nati Lares* (cf. Fast. II 583—616) *et ipsam Laram nominant vel Larundam.* — sed multo gravior est ille de Curetibus et Corybantibus locus fast. IV 207 sq. = inst. div. I 21, qui in editione O. F. Fritzschei (bibl. patrum tom. X Lips. 1840) sic legitur:

207 *Ardua iam dudum resonat tinnitibus Ide,*
tutus ut infanti vagiat ore puer.
Pars clypeos s u d i b u s, galeas pars tundit inanes:
210 *Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.*
Res latuit, p r i s c i q u e m a n e n t imitamina facti,
Aera deae comites raucaque terga movent.
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant:
Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.

1) de ceteris (cf. Merk. ed. Reim. praef. pg. CCLXX sq.) si necesse erit suo loco disputabo.

Variae scripturae[1]): 207 *iandudum* B[1], corr. m.[2] *initibus* P *idae* (*e* del. et exp. m.[2]) B, *idem* RPV, *idae* HM. — 208 *ut* in m. add. V[1] *uageat* M. — 209 *clipeos* omn. exc. M *subdibus* (*b* exp. m. post.) M. — 210 *curetis* M *coribantes* HM *opus* om. HM. — 210/211 *opus res*] *pur.es* (m.[2] scrips. *e* super *u* et *r*) B. — 211 *priscique*] *prisca* B. — 212 *aera deae*] *tradidere* B *terga*] *verba* HM. — 213 *cymbalia* (*i* exp. m.[2]) V. — 214 *da* (*t* add. m.[2]) H *frygios* BRH *frygiam* (litt. *am* exp. et *os* superscr.) P *tibi adafrygios* M corr. m. post. *frygiam* V *ut*] *ui* R. — quibus scripturis perlustratis discrepantias haud magni aestimabis ac praecipue concedes Firmianum in Ovidio suo invenisse ac descripsisse v. 209 *sudibus* (*manibus* RVM) et v. 211 *latuit priscique manent imitamina* (ita V, sed RM: *latuit patrem, priscique imitamina*).

Quid iudicabimus de his scripturis ab optimorum librorum lectione quam gravissime discrepantibus egregiaque auctoritate Lactantii defensis? primum vocem *sudibus* (v. 209) non interpolatam putaverim, quamquam Merkelius ipse (Tbn. II) meliorum librorum scripturam revocavit. nullius enim momenti est, quod affert tympana v. 183, 213, 342 certe *manibus* pulsari (ed. II. Tbn. praef. XXXVIII). nam ut res quas Curetes Megalensibus tundunt, cymbala et tympana, differunt ab antiquis illis clipeis galeisque (cf. 213) atque ita quidem, ut quasi signis imaginibusque utantur armorum Cureticorum: sic res quibus tundunt aeque differre atque sacerdotes iam non *sudibus* sed *manibus* ad cymbala pulsanda uti aptum videtur. sed ne *rudibus* quidem, quam vocem Rieseus Peterus Merkelius (Tbn. I) ex Zm hauserunt, significationem idoneam exhibet. nam rudis erat virga, qua gladiatores, cum ad artem discendam exercebantur, in batuendo utebantur. cf. am. II 9, 22 *Tutaque deposito poscitur ense rudis,* art. III 515 *Sic ubi prolusit, rudibus puer ille relictis Spicula de pharetra promit acuta sua,* cf. Suet. Cal. 32. eadem virga praetor donabat gladiatores, cum munere gladiatorio liberabantur. Cic. phil. II 29 *tam bonus gladiator rudem tam cito accepisti?* mirabile sane esset, si tali virga gladiatoria[2]) Curetes veteres clipeos pulsassent. multo facilius autem vox *sudibus* ad sensum accommodatur. sudes enim — ut cetera praetereamus — pugnantes ad hostes caedendos arripiunt. met. XII 299 *assiduae successu caedis ovantem, Qua iuncta est umero cervix, sude figis obusta.* Sil. It. VI 559 *Hostis adest, iaciuntque sudes et inania tela.* Luc. VI 174 *Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto Detrudit muris.* Liv. XXXX 6, 6 *multaque vulnera sudibus facta.* ib. XXVI 51 *sudibus inter se in modum iustae pugnae concurrerunt.* (his locis Livianis *rudibus* inepte coniectum est.) aptissimum itaque videtur Curetes scuta sudibus arreptis percussisse. — v. 211 editores scripturam Lactantii contempserunt; unus Peterus ed. II. eam recepit, quod Lactantii auctoritate defendatur (d. crit. pg. 17). sed certa causa inveniri potest. nam offendimus in script. RM, *res latuit patrem*, cum prior substantivi *pātrem* syllaba in thesi producta sit. ubicunque enim

1) publici iuris facio quae e codicibus enotavit Brandtius vir doctissimus, cui quod varias scripturas Leone intercedente egregia liberalitate mecum communicavit, gratias habeo quam maximas. idem de codicum rationibus comiter me certiorem fecit. atque codices libri primi Lactantiani, qui ad unum omnes archetypum redeunt, in duas partes discedunt. quarum alteri, cuius sunt Parisin. Putean. 1662 P saeculi IX. et Valentianensis V saec. X. vel XI., a Brandtio maior auctoritas tribuitur quam priori, ad quam pertinent Bononiensis B saec. VI. v. VII. Parisinus Regius R saec. IX. Vaticanus Palatinus H saec. X. accedit Montepessulanus M saec. IX. v. X. ex eodem archetypo ex quo H descriptus.

2) aliae huius vocis significationes minus etiam ad h. l. aptae sunt.

Ovidius hac syllaba in thesi utitur, brevis est: *pătris* art. I 191, 196, met. VI 659, fast. II 545, IV 47; *pătri* am. III 12, 21, met. VII 337, fast. II 485, ex P. IV 13, 27; *pătrem* her. 15, 290, art. I 285, met 12, 30, VII 96 fast. II 144, III 710, IV 38; *pătre* fast. VI 31; *pătres* met. IV 61, XIV 775, XV 486, 645, fast. I 609, 625, IV 950, V 49; *pătribus* P III 1, 143; *pătrum* am. III 13, 27. duobus locis, quibus solis syllaba invenitur producta, producta est post caesuram: met. VII 160 *grandaevique ferunt / patres congestaque flamma*, IX 25 *matris adulterio / patrem petis. elige fictum.* apud Tibullum quoque et Propertium — id quod Leo mihi ut multa alia benignissime suppeditavit — syllaba *patr*... in thesi uno tantum loco eoque post caesuram longa invenitur: Tib. I 1, 41 *non ego divitias / patrum fructusve requiro.* itaque dubitari nequit, quin Ovidius scripserit: *res latuit, priscique manent* q. s. sed ut indicaretur quem res lateret, primum *patrem* verbo enuntiati superscriptum est; deinde cum locum occupasset illa adnotatio, vox *manent* ne versus laederetur omissa. qua ratione appositio satis elegans: *prisciuue imitamina facti* nata est, quae dexterum interpolatorem olet ac vetustum.

Quid? si his locis Lactantius unice verum servavit, nonne etiam VI 294 (*habet* V Merk. Tbn., Rieseus, Peterus; *amat* M, Lact., Merk. Rm.) vocem *amat* praeferemus? nam ad orationis tenorem non minus adcommodata est quam Vaticani, cuius fides ut vidimus Monacensem haud multo superat.[1]) — speciosum igitur exemplum praesto est, quo scripturas genuinas in optimis testibus oblitteratas appareat apud veteres scriptores interdum inveniri. nec tamen id novum atque inauditum; nam etiam met. VIII 237 auctor de dub. nom. (Keil. V 587) unus rectum memoriae prodidit: *limoso — elice*, cum libri omnes *ramosa — ilice* exhibeant.

Illud igitur non mirabile; sed alterum primo aspectu mirum videatur: reperiuntur scilicet omnes Lactantii scripturae modo laudatae vel simillima quaedam in duobus libris recentioribus, Zulichemiano et Mazariniano. conferas quaeso: II 599 *Lara* Lact. Zm, IV 209 *sudibus* Lact. *rudibus* Zm[1] soli, 211 *latuit, priscique manent* V Lact. Zm, VI 294 *amat* Lact. MZm. dicat quispiam scribam Zm haec ex Lactantio ipso haussisse. sed sic IV 209 non *rudibus* sed *sudibus* descripsisset. itaque quamquam pauca et satis exilia exempla exstant, tamen persuasum mihi est latere in his libris pristinas scripturas, quae in codicibus vetustissimis perierint. sed ne hoc quidem novum est, cum similia de Livii decade III. viri docti meliore fortuna adiuti iam dudum intellexerint. atque de Ovidio ipso nonne Vahlenus nuper egregie probavit heroidum exordia, quae recentioribus solis libris inveniuntur, ad orationis continuationem non solum apta esse, sed etiam necessaria? cf. act. acad. Berol. 1881, pg. 1 sq.

Itaque cum codices Z et m e ceterorum recentiorum grege emineant, accuratius eos perlustrare et, quanti per se sint aestimandi, disquirere opus est.

II. De codicibus Zulichemiano et Mazariniano.

Utrumque librum descripserunt Merkelius ed. Reim. praef. pg. CCLXXXI. et CCLXXXV. et Peterus d. c. pg. 5 sq. ex eodem eos archetypo esse exaratos corruptelis communibus cogno-

1) Etiam I 233, quem versum cum sequente Lactantius descripsit inst. div. I 13, defendi potest *ad amnem* (ita VM Lact.), quamvis vetustissimus codex leniter differat (*in amn.* R).

scitur: I 537 *auspiciis* VCZmς *ut dictis* RMς — *ad agros* VCZmς *in annos* RMς, 546 *laeta* VZm *lata* RM, 565—66 desunt in Zm[1], 585 *dixit* VZm[1]BCς *vixit* RMς, 622 *iuvare* VZm 3ς *novare* RMς, 626 *amissum* VZmBC 4ς *exemptum* R, 627 *nunc* RVM *non* Zm, 640 *restituere* VZm *constituere* RMς, 642 *ante* VZm *ille* RMV[2], 643 *decesserat* ZmBCς *secesserat* RVM, 675 *correpta* CZmς *correcta* RVM, 719 *placatis* BCZm *pacalibus* RVMς, 720 *percussa* VMZm *perfusa* R. II 8 *sed quis* Z *s. quid* m, 9 *gerimus*, 87 *cubuere*, 110 *Threicius*, 149 *caput exerit*, 182 *amanda*, 329 *pia*, 341 *riguit*, 359 *peregrinae*, 367 *vectibus*, 382 *tanto*, 396 *ex istis*, 492 *viris*, 501 *motu nubes crevere*, 547 *legunt*, 608 *monet*, 635 *ultima*, 824 *ad eos*. III 34 *nova*, 76 *eat*, 91 *restat* Z *restant* m, 111 *et inobservata* VZmBC *non observata* RM Rieseus, 175 *moveri*, 216 *lituo tubicen*, 219 *passis*, 228 *scutis*, 265 *furiis distractus* ZmBC *loris direptus* RV[1]ς (v. infr.), 266 *initur*, 271 *fortesque manu*, 292 *tradere*, 294 *erudit* VZmBC 9ς *edidit* RMς recte, 377 *idque*, 387 *qui saltu nomina ducunt*, 399 *demensa* Zm[2] *de mense* m[1], 408 *referre*, 414 *vehit*, 416 *elatis*, 417 *canaeque*, 418 *Crathera* m[1] *cratera* Z, 452 *iubis (comis)*, 456 *fudit*, 500 *me tua. me laudant*, 517 *demiserit*, 541 *occurri* (v. infr.), 585 *et* om., 599 *figitur (ducitur)*, 619 *pectore (corpore)*, 635 *vidit*, 638 *praeparat*, 647 *cupidis*, 652 *tenues*, 653 *rapidi*, 662 *vera*, 813 *strata*, 826 *invita*, 850 *deo*, 861 *ramis*, 875 *captis*, 876 *ad Colchas*. IV 83 *longe*, 85 *abit (adit)*, 136 et 137 praebent Zm (vide infr.), 277 *iustissima*, 347 *tunc*, 381 *tribunal*, 435 *textos*, 467 *amenaque*, 496 *regio (facilis)*, 617 *Longaque*, 633 *gravidae nunc*, 664 *dicta (verba)*, 678 *petunt*, 694 *Siu*... m *Sive cavae* Z[1], 741 *maris rores*, 759 *praesta*, 839 *tactam*, 843 *retro*.

Interpolatorum quoque artificia exstant in hoc archetypo. multis enim locis — ut primum leviora enumerem — simplicibus poetae verbis spretis elegantiora intruserunt (cf. pg. 10): I 546 *laeta* VZm *lata* RM, 642 *ante* V[1]Zm *ille* RV[2]M. II 87 *cubuere* BZm 4ς *iacuere* RVM Rieseus, 329 *causa: repertori vitis pia* (ita MCZm *quia* cet.) *sacra parabant*, 341 *attonitusque metu rediit* RVMς *riguit* BZm, 364 *medias sole fovente vias* BCZm 2ς *tenente* cet. III 34 *contigeratque nova* (ita BCZm 4ς *sua* RVMς) *sidera summa coma*, 414 *vehit* Zm *tulit* recte, 647 *cupidis* BZm *tumidis* recte. — — sed accedamus ad alias gravioresque artes detegendas: I 561 *accipio revocamen* RVMς *accipio, revocamur* Zmς. pro substantivo raro adhibito, quod vero ab oratione Ovidiana minime abhorret (cf. pg. 10), tritius aliquid inseruit interpolator. — II 110 corrector doctus nisi vocem *traiectus* in absurdum illud *Threicius* somniculose mutavit, fieri potest ut de Orpheo, vate Threicio (met. XI 2), cogitaverit. — 367 *Vestibus* RVMς *vectibus* CZm 2ς. genuinum erat *cestibus*, quod postea ita ut in melioribus libris legitur corruptum est. quod cum sensu careret, emendator Zm leni coniectura ex *vestibus* effecit *vectibus*. — 501 *motu nubes crevere sinistrae* ZmBς *motu saepes tremuere sinistrae* RVMς. aptius visum est correctori nubes crevisse, cum Romulus e caelo descenderet, quam saepes tremuisse. violentissima sane emendatio! — 608 *monet* VZm *vocat* RM. cum versu 609 verba dei ipsa sequantur ibique *inquit* vel *dixit* vel aliud eiusmodi desit, verbo *monet* hunc versum melius cum sequentibus consociari credidit. — III 769 *Nysiades nymphae* (Z?) *puerum quaerente noverca Hanc frondem cunis opposuere novis* Zm; libri: *Nysiadas nymphas puerum quaerente noverca Hanc frondem cunis opposuisse ferunt*. — IV 136 et 137 totos esse interpolatos posthac videbimus. — — denique multae interpolationes, quas in V et M deteximus pg. 7—11, hic quoque reperiuntur: I 604 *te quoque maior* VMZm 5ς, 720 *percussa* VMZm. — I 8 *sed quis* VMZς *s. quid* m, 67 *asyli* VMZm[1]. — III 219 *passis* VMZmBC, 387 *qui saltu*

nomina ducunt VZm, 517 *dimiserit* MZm, 599 *figitur* MZm, 726 *vitisator* VZm[1], 813 *strata* VMZm, 860 *compulerant* VZm.

Archetypus Zm igitur tanto opere passus est interpolantium temeritatem, ut deterior quam arch. VM putandus sit. accedit quod his emendationum exemplis multa alia facili opera adderemus, si librorum Zm collatio tam bona ac solida, quam Vaticani et Monacensis praesto esset, sed codicis m quidem in apparatu critico Merkeliano variae scripturae sufficiunt; liber Z autem vel tam incuriose excussus vel tot et tantis rasuris affectus est (Mk. praef. Reim. pg. CCLXXXV), ut interdum per centenos versus ne una quidem varia scriptura sit enotata. itaque quamvis emendationes Z, quarum exempla sumus enumeraturi, propter scripturarum penuriam haud ita multae sint, tamen per se hunc codicem fidem non mereri persuasum mihi est, praesertim cum is qui eum contulit indignis modis eum esse interpolatum ipse testetur. atque II 333 intrusum est exquisitius quoddam (cf. pg. 10) pro simplici poetae verbo: *videt comites somno vinoque sepultos* Zς *solutos* RVMς. — III 25 *Languida cum surgat, nescit cur languida surgat* Z *consurgit nec scit* RVMς: per errorem *cum* pro *con-* scriptum, deinde ut recta enuntiatio efficeretur cetera ita mutata: *surgat, nescit.* — IV 205 *caelesti gutture* RVM *c. viscere* Z. nimia subtilitate usus ipl. saxum in viscere Saturni, quam in gutture sedere maluit. — 395 *messis* Z (m?), *panis* libri. etiam hoc loco nimia adcuratione commotus emend. Z herbas non panem, sed messem potius vocandas esse censuit. — 694 *sive cavae* Z. genuino *seu* in *sive* corrupto, ut metrum salvum esset, *cavae* pro *curvae* intrusum est. — 730 *mea vela* libri. emend. Z pronomen ad vocativum *puppis* spectare arbitratus correxit *tua v.* — — ceterum etiam liber Z bonas scripturas sine ulla causa mera libidine permutavit: IV 122 *Ah nolim dictas hoc meruisse deas* Z *victas hoc meminisse* ceteri. — 524 *lassi* Z *iusti* RVM. sed *iusti — senis* non minus iusta scriptura est quam *lassi — s.* — 546 *in teneris aurea mella favis* VZ, de qua interpolatione supra diximus.

Hactenus de libro Z. complura de Mazariniano disputanda sunt. indiligenter eum esse exaratum ex versibus haud raro omissis verbisque saepissime inepte repetitis[1]) intellegitur. ab interpolationibus autem incipiam levissimis. saepe enim scriba verba neglegenter permutavit in versuum fine, qui, cum versus totos perlegisset, iam non in memoria haerebat: I 12 *tu quoque cum Druso praemia digna* (*fratre* RVMς) *feres* m, 206 *suo* m, *fuit* RVMς, 388 *pro nulla virgine cerva cadit* RVς *datur* m. — II 160 *Et comitum princeps tu mihi semper* (*dixit* RVMς) *cris* m, 592 *summo iungere verba* (*membra* VMς) *deo* m etc. etc. — — saepe interpolationes easdem quas VM exhibet: I 76 *Falisca* MBCm *(Cilissa)*, 97 *obstipui* Vm *(extimui)*, 454 *Inachi vacca* Vm *(I. lauta)*. — II 19 *piacula* Mm *(piamina)*, 286 *concitat ille feras* Mm *(concipit ipse fugas)*, 500 *fulgebat* Vm *(surgebat)*, 585 *indomito* Vm *captus* VMm *(immodico — victus)*, 791 *somni* Vm *(somnum)*, 831 *caelato figit sua pectora cultro* Vm *(fixit — ferro)*. — III 180 *urbis* VMm *(huius)*, 558 *inque cavo steterant tertia musta lacu* Mm, 664 *fugit et in sacri vertice montis abit* VMm (*erat* R). — IV 45 *recidiva* Mm *(repetita)*, 422 455 462 *ethna* Mm *(Henna)*.

E ceterarum interpolationum multitudine, quas in hoc libro ubicunque invenies, pauca exempla afferre sufficiat: I 153 *et modo formatis amicitur vitibus arbor* m *operitur frondibus arbos* libri. videmus emendationem docti interpolatoris, qui legerat apud Vergilium vel Ovidium (cf. met.

1) exempli gratia: II 96 *atque ita quaesitas arte quaerebat* (*ferebat* libri) *opes* m.

nomina ducunt VZm, 517 *dimiserit* MZm, 599 *fig* ... *ata* VMZm, 860 *compulerant* VZm.

Archetypus Zm igitur tanto opere passu ... terior quam arch. VM putandus sit. accedit quod his eme ... opera adde- remus, si librorum Zm collatio tam bona ac sc ... raesto esset. sed codicis m quidem in apparatu critico Merk ... er Z autem vel tam incuriose excussus vel tot et tantis rasu ... LXXXV), ut interdum per centenos versus ne una qu ... que quamvis emendationes Z, quarum exempla sumus enun ... m haud ita multae sint, tamen per se hunc codicem fidem ... esertim cum is qui eum contulit indignis modis eum esse in ... 33 intrusum est exquisitius quoddam (cf. pg. 10) pro simplici ... *oque sepultos* Zς *solutos* RVMς. — III 25 *Languida cum s* ... *onsurgit nec scit* RVMς: per errorem *cum* pro *con-* scriptum ... r cetera ita mutata: *surgat, nescit.* — IV 205 *caelesti gutt* ... te usus ipl. saxum in viscere Saturni, quam in gutture se ... *panis* libri. etiam hoc loco nimia adcuratione commotus ... essem potius vocandas esse censuit. — 694 *sive cavae* Z. ... rum salvum esset, *cavae* pro *curvae* intrusum est. — 730 ... d vocativum *puppis* spectare arbitratus correxit *tua v.* — — ... as sine ulla causa mera libidine permutavit: IV 122 *Ah no* ... *oc meminisse* ceteri. — 524 *lassi* Z *iusti* RVM. sed *iusti* — ... m *lassi* — *s.* — 546 *in teneris aurea mella favis* VZ, de qu ...

Hactenus de libro Z. complura de M ... er eum esse exaratum ex versibus haud raro omissis verbi ... llegitur. ab interpolationibus autem incipiam levissimis. s ... ermutavit in versuum fine, qui, cum versus totos perlegisse ... 2 *tu quoque cum Druso praemia digna* (*fratre* RVMς) *feres* ... *nulla virgine cerva cadit* RVς *datur* m. — II 160 *Et comi* ... VMς) *cris* m, 592 *summo iungere verba* (*membra* VMς) *deo* ... easdem quas VM exhibet: I 76 *Falisca* MBCm *(Cilissa)*, ... *ki vacca* Vm *(I. lauta).* — II 19 *piacula* Mm *(piamina)*, 28 ... *fugas)*, 500 *fulgebat* Vm *(surgebat)*, 585 *indomito* Vm *ca* ... *somni* Vm *(somnum)*, 831 *caelato figit sua pectora cultro* V ... Mm *(huius)*, 558 *inque cavo steterant tertia musta lacu* M ... *is abit* VMm *(erat* R). — IV 45 *recidiva* Mm *(repetita)*, 42 ...

E ceterarum interpolationum multitu ... enies, pauca exempla afferre sufficiat: I 153 *et modo forma* ... *ondibus arbos* libri. videmus emendationem docti interpolato ... lium (cf. met.

1) exempli gratia: II 96 *atque ita quaesitas*

X 100 *amictae vitibus ulmi*) vel alium (cf. Hor. ep. I 16, 3) rusticos „arbores vitibus amicire". sed epitheton *modo formatis* ad frondes potius quam ad vites esse idoneum apparet. — II 121 *alterno pectine* recte. in archetypo erat corruptela: *alterno pectore* (ita RV). M, ut sensum eliceret, aut coniectura aut interpretamento excepto effecit: *alterno carmine*, sed interpolator m praeclarissime rem ad finem perduxit scribens *aeterno carmine*. — III 131 *quin etiam partes totidem Titiensibus ille* libri. quibus verbis non perspectis interpolator audacissimus: *parthis t. cupientibus*. — 236 *et pereunt lapsae sole tepente nives* RM recte (v. infr.). Vaticanus verb. *lapsae* simplicius arbitratus *victae* induxit, sed m, admirabilis verborum Ovidianorum corrector, flebile illud excogitavit dignumque debili poeta lyrico: *maestae — nives*. — — Restat denique turba earum interpolationum, quibus interpolator ut supra diximus bonis poetae verbis sine ulla causa vim attulit: I 31 *est tamen et ratio* RVMς, *est etemin r.* m, 183 *desierat Ianus* RVMς *d. paucis* m. — II 165 *ut tetegit lucum* RVMς *ut vexit lucem* m(!), 249 *ne quid sine* (Imperat.) *sacra morentur* m¹ *pia sacra moretur* libri, 689 *ceperat hic alias, alias cum terreat urbes* m¹ *alias everterat* libri. — III 371 *A media subito celum discedere visum* m(!) *caelum regione dehiscere coepit* libri, 686 *Et stultum (-tam?) dubia speque moraque trahit* m *Et stultam dubia spem trahit usque mora* libri. — IV 117 *quicquid ubique potest* m, *quid quod ubique potens* RM. — V 25 *hinc sata Maiestas, quae mundum temperat omnem* libri. *h. s. M., hos est dea censa parentes* m(!) (in Z ras.).

Quid igitur de utroque codice iudicabimus? codex Z, quamvis scripturae adnotatae ad diiudicandum non sufficiant, minime tamen caret interpolationibus; et Mazarinianus, cuius lucupletior est collatio, effrenarum emendationum multitudine ita scatet, ut valde superet Vaticanum et Monacensem. itaque quamquam his codicibus ut vidimus optimae vetustissimaeque reliquiae servatae sunt, tamen ne nimium iis tribuamus maxime cavendum est. si editiones Merkelii et Peteri perscrutaberis, eos multis locis (cf. Pet. disp. cr. pg. 16 sq.) scripturas Zm adprobasse invenies. sed ut breviter dicam quid sentiam — nam dies deficeret, si vellem enumerare et pertractare omnia — saepius quam rectum erat codices Zm secuti esse et haud raro interpolationes pro vero accepisse videntur (cf. part. C).

Denique Peterus mihi non plane persuasit libros Zm non ad eundem atque RVM redire archetypum (disp. cr. pg. 28).[1]) nam codices VM et Zm tot interpolationes corruptelasque habent communes, ut artiore cum iis affinitate coniuncti videantur. cuius rei quamquam exempla iam supra attuli (cf. pg. 17 et 18), tamen nonnulla ex libro altero addere mihi liceat: II 8 *sed quis* VMZ *s. quid* m, 9 *gerimus* VZmBC *ferimus* RM, 22 *habent* VmC *erat* RM, 29 *pectora* VmBC *corpora* RM, 57 *quaeris* MZmς *quae sunt* RV, 67 *asyli* VMZm¹ *averni* R *Helerni* Heins., 86 *respicit* Vm 4ς *restitit* RM, 100 *est* post *armata* intruserunt VZmBC, 106 *posset* VmBC 18ς *possit* RM, 201 *carmenti* VMZm¹ς (*s* add. R¹), 318 *induit* MBCm *instruit* RV, 420 *permissi* VCmς, 495 *intonat emissis* V (test. Merk.) m, 500 *fulgebat* VmBCς *surgebat* RMς, 577 *transfixit* VMmBC 10ς *traiecit* Rς, 585 *indomito* VmBC 7ς *immodico* RMς — *victus* Rς *captus* VMmBC, 592 *concubuisse* R

1) attamen si Peterus libros Zm archetypum seorsum habere dicit, aliquam sane causam cognoscimus. exhibent enim scripturas, quae in nullo alio codice inveniuntur. sed cur libros quoque BCTHVL quos dicit ad eundem alium archetypum redire velit, non intellexisse me fateor. nam nulla alia re ab RVM distant, quam quod sunt recentiores et deteriores et gravius interpolati.

iungere membra VMBC *iungere verba* m, 605 *nymphae* mC *nympham* M *nuptas* VR; 608 *monet* VZm *vocat* RM, 633 *et* Mm 10ς *ut* RV, 634 *iussa* ZM, 683 *in* Mm¹B *data* RVς, 755 *intentaque fila remittit* Vm¹ *inceptaque fila remisit* RMς, 756 *suum* Vm¹Bς *suo* RMς, 757 *pudicae* Vm 11ς *pudicam* RMς, 761 *furiatus* Vm¹ς *furiales* RM, 774 *hic decor, haec facies, hic color oris erat* VmB 7ς *h. color, h. f., h. decor o. e.* RMς, 791 *somni* Vm¹ 13ς *somnum* RMς, 793 *auratum vagina deripit* VmBCς *aurata v. liberat* RMς, 801 *pugna* VmBς *pugnans* RMς, 808 *ero* RM *erit* Vm¹ς, 829 *coacto* VMm *coactae* Rς, 831 *fixit* RMς *figit* VmBC *cultro* VmBCς *ferro* RMς. — videntur igitur libri Zm cum Vaticano et Monacensi ex archetypo β quem diximus nati esse, ita ut stemma[1]) illud supra depictum hoc modo supplendum sit:



1) in quo stemmate si Zm artius quam indicavi cum Vaticano coniunctos velis, me quidem non habebis dissentientem.

2) novum archetypum x induxi, ut scripturarum fontem significarem earum, quas arch. Zm cum solo Lactantio communes habet.